UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manvale, sev Institvtio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

X. Ne sit superbus Sacerdos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-48973

Visual Library

CAPVT X.

Non superbum.

NE SIT SVPERBVS SACERDOS.

SVMMARIVM.

QVI per arrogantiam in nomine Dei loquitur, quæ ille non præcepit, interficiendus. 1
Abominatio Domini est omnis arrogans. 2.
In die honoris non superbiendum. 3. 4.
Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 5.
Sacerdos superbus sibi est dæmon, & hostis. 6.
Superbiæ signa. 7. 8.
Et effectus. 9.
Sacerdos magis cogitare debet, quod sibi deest, quam quod habet. 10.
Et peccata aliena non per superbiam corrigere. 11.
Illa autem non potest esse sine pusillanimitate. 12.

1 PROPHETA qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. *Deut.* 18. 13.

2 Abominatio Domini est omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. *Prou.* 16.

In

In die honoris tui ne extollaris,&c. *Eccl.* 11. 3
Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in il- 4
lis quasi vnus ex ipsis. *Eccl.* 32.
Deus superbis resistit, humilibus autem dat 5
gratiam. 1. *Pet.* 5.

Sacerdos superbus sibi est dæmon, & hostis.

SACERDOS superbus dæmone opus non habet: 6
ipse enim iam sibi & dæmon, & hostis, & inimicus est. Alieniſſimæ à luce sunt tenebræ: ita, & superbus a virtute omni alienus est. *S. Io. Climacus gradu.* 22.

Signa superbiæ.

SVPERBIÆ signa hæc sunt, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, honestas in imagine, in honestas in actione, rancor in reprehensione. *S. Bernardus de interiori domo c. 41. ex S. Gregor. Moral l. 34. c. 18. vbi tamen legitur, Rancor in responsione, non in reprehensione, vt hic; & additur, erectio in incessu.* 7

De eodem.

INEST primitus in loquela superbi clamor, ama- 8
ritudo in taciturnitate, excelsus & effusus in lætitia risus, irratiõabilis in seueritate tristitia, in reprehensione rancor, facilitas in sermone, verba passiua sine vlla cordis grauitate erumpentia. Expers patientiæ est, caritatis aliena, audax ad cõtumelias irrogãdas, pusillanimis, ad tolerandas, ad obediendũ

difficilis, nisi in quo eum desiderium suum, voluntasque præuenerit, &c. *Cassianus lib.12.c.29.collat.16.c.24.S.Bonau.in Pharetra l.2.c.6.ex S.Gregorio, Moral.l.34.c.18. Idem S.Bonauen. in speculo disciplinæ post partic.4.c.5.*

Effectus superbiæ.

9 QVISQVIS superbiæ morbo fuerit occupatus, non solum nullam subiectionis, aut obedientæ regulam custodire dignatur, verum ne ipsam quidem auribus suis doctrinam perfectionis admittit, &c. Pro suspiriis salutaribus sputa de sicco gutture corraduntur, excreationis etiam sine vlla interpellatione phlegmatis prouocantur, digiti ludunt, & in modum quiddam scribentis volitant, atque depingunt: & ita huc, atque illuc vniuersa corporis membra commouentur, vt, dum spiritualis agitatur collatio, totum se vel scatentibus vermibus, vel acutissimis sudibus credat insidere, & quidquid simplex collatio ad ædificationem protulerit audientium, ob suam fugillationem existimet esse prolatum. *Idem Cass.l.12. c.27. S.Bonauen. opusculo de perfectione vitæ, c.2.*

Magis cogitandum Sacerdoti, quid desit sibi, quam quid habeat.

10 MAGIS cogitare debetis, quid vobis desit. Quod habes, caue, ne perdas: quod nondum habes, supplica, vt habeas. In quantum sis minor, est considerandum, non in quantum sis maior. Si enim cogitas,

tas, quantum præcessisti alterum, time tumorem: si vero cogitas, quantum tibi deest, ingemiscis, curuaris, non laberis. *S. Bernard. super Cant. serm. 59.*

Peccata aliena non corrigenda per superbiam.

BENE alieni peccati curanda vitia suscipit, qui hoc ex cordis dilectione, & humili conscientia facit. Ceterum, qui delinquentem superbo, vel odioso animo corripit, non emendat, sed percutit: quidquid enim proteruus, vel indignatus animus protulerit, obiurgantis furor est, non dilectio corrigentis. *S. Isidorus de summo bono libro 3. cap. 41.* 11

Superbia non potest esse sine pusillanimitate.

S. Bernardus vbi sup. serm. 59. super Cantica. Alia vide sup. p. 2. c. 8. §. 3. de humilitate. 12